



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**P. Virgilio Maronis Aliorumque Poetarum Opuscula, Sive
Lvsvs**

Vergilius Maro, Publius

Antverpiae, 1566

De cantu seirenum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69268)

De Liuore.

Carmen Phale-
cium.

- Liur, tabificum malis venenum,*
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
 5 *Quod quisquis furit, inuidet' que forti,*
Vt debet, sibi pœna semper ipse est.
Testatur gemitu graueis dolores,
Suspirat, fremit, incutit' que denteis:
Sudat frigidus intuens quod odit.
 10 *Effundit mala lingua virus atrum.*
Pallor terribilis genas colorat.
Infelix macies renudat ossa.
Non lux, non cibus est suavis illi:
Nec potus iuuat, aut sapor Lyæi:
 15 *Nec si pocula Iupiter propinet,*
Aut hæc porrigat, & ministret Hebe,
Aut tradat Ganymedes ipse nectar:
Non somnum capit, aut quiescit unquam.
Torquet viscera carnifex cruentus,
 20 *Vesanos tacitè mouet furores,*
Intentans animo faces Erinnyis
Lethalis, Tityique vultur intus,
Qui semper lacerat, comest' que mentem.
Viuu pectore sub dolente vulnus:
 25 *Quod Cheironia nec manus leuarit,*
Nec Phœbus, sobolesue clara Phœbi.

De cantu Seirenum.

- Seirenes varios cantus Acheloia proles,*
Et solite miseros ore ciere modos.
 30 *Illarum voces, illarum Musa mouebat*
Omnia que Thymele carmina dulcis amat:
Quod tuba, quod litui, quod cornu rauca queruntur,
 e 4 *Quod-*

Quod' que foraminibus tibia mille sonat,
 Quod' que leues calami, quod suavis cantat Aëdon,
 Quod lyra, quod cytharæ: quod moribundus olor.
 Illectos nautas dulci modulamine vocis
 Mergébant avidæ fluctibus Ionys. 5
 Sanguine Sisyphio generatas magnus Vlysses
 Hac tutos sola præstitit arte suos:
 Illeuit cera sociorum callidus aureis:
 Atque suas vinclis præbuit ipse manus.
 Transiuit scopulos, & inhospita litora classis: 10
 Illa præcipites desiluere freto.
 Sic blandas vocis' que notas, & carmina vicit:
 Sic tandem exitio monstra canora dedit.

De Natali die.

Clarus inoffenso procedat lumine Titan, 15
 Latificus' que dies eat omnibus æthere puro.
 Vos' que simul iuvenes animis, & voce fauentes
 Concelebrate diem votis felicibus alium:
 Prosper ut is semper redeat, vatique quotannis 20
 Asmenidæ referant alacres sua munera nati.

De Orpheo.

Threïcins quondam vates fide creditur canora
 Mouisse sensus acrium ferarum
 Atque amnes tenuisse vagos, 25
 Et surda cantu concitasse saxa.
 Suauisonos' que modos testudinis arbores secuta
 Vmbram feruntur præbuisse vati.
 Sed placidis hominum dictis fera corda mitigauit,
 Docta' que vitam voce temperauit: 30
 Iustitiam docuit cætu quoque congregauit vno,
 Mores' que agrestes expoliuit Orpheus.

De